

votatio ad prioritatem stabiliendam in materia discussionis sequentem exitum habuit:

1. Co-responsabilitas in actione pastoralis;
2. Sacerdotium et coelibatus;
3. Ministerium pastorale et saeculares operositates;
4. Evangelizatio et sacramenta;
5. Vita spiritualis pastorum;
6. De praeparatione hodie ad sacerdotium necessaria;
7. Retributio oeconomica sacerdotum.

1

*Cordino*

1. a) Discussione generali de institutione et functione Consiliorum presbyterorum tum in relatione ad episcopum tum ad alia organa diocesana habita, Circulus sequentia commendat: momentum illorum Consiliorum agnoscit et urget ut ubi adhuc non instituuntur quamprimum institui debent. Immo haec Consilia presbyterorum expressionem esse debent intimae communionis, communicationis et mutuae fiduciae inter et episcopum et eius sacerdotes. Insuper Circulus desiderat ut Synodus clarificationem exigat de responsabilitatibus pertinentibus ad varia organa, gXXVX v.g. Consilium presbyterale, Consilium pastorale, Capitulum, Consultores diocesani et ita porro.

b) Dioeceses quae talis magnitudinis sunt ut inter alia moraliter impossibile est ut episcopus suos sacerdotes bene cognoscat et illis inaccessibilis evadat, dividendae sunt. Cf. Christus Dominus art. 22, 23.

c) In relationibus inter episcopum et sacerdotem Circulus commendat lineamenta sequentia:

i) episcopus qua episcopus habet speciale munus sanctificandi, regendi et docendi;

ii) quando et in quantum possibilis est, episcopi consilia a sacerdotibus quaerere debent et notitias de rebus peractis cum illis participare (share). Haec mutua communicatio pertinet tum ad laborem in Conferentiis episcopalis tum quoad responsabilitatem quam episcopi habent pro universali Ecclesia, in qua responsabilitate sacerdotes pro suo munere partem habent.

- d) Membra Circuli commendant ut Synodus sublineat <sup>(importance)</sup> momentum cooperationis sacerdotum religiosorum in missione Ecclesiae per vivum testimonium consiliis evangelicis et per plenam collaborationem in apostolatu. Institutio novae mixtae commissionis centralis Romae non commendatur.
- e) Post considerationem actualis situationis et habentes etiam in mente distinctionem inter voluntarias associationes sacerdotum cum fine spirituali et alias associationes sacerdotum Circulus suggerit ut Synodus hac de re nihil specialiter dicat. Membra Circuli putant autem quasdam associationes sacerdotum utiles esse et valorem practicum habere.
- f) Commendatur planificatio ubi exigentiae dioecesis eam postulent.
- g) Commendatur institutio Consiliorum parochialium ad modum Consilii pastoralis ubi adhuc desunt. Circulus tenet Consilia parochialia missionem apostolicam potius quam administrationem ut primariam finem habere. Ex hoc sequitur quod in supradictis Consiliis parochus suum munus ut pastorem et ducem spirituales abdicare non potest; e contra populus tale munus in eo videre expectat.

## 2. Sacerdotium et Coelibatus.

- a) Circulus desiderat ut praesens lex de coelibatu in vigore maneat. Valde autem commendat quod valor et ratio coelibatus positivo modo praesentari debent.
- b) De propositionibus ut in Relatione conclusiva Cardinalis Tarrancon continentur, Circulus votavit. En exitus: pro 1a propositione 11; pro 2a propositione 7; pro 3a propositione 1. 1 abstinuit. Deinde Circulus proposuit sequentes emendationes dictis propositionibus: in propositione 3a sic legatur: "una cum Romano Pontifice et post consultationem cum Conferentiis Episcopalibus vicinioribus"; in propositione 2a pro verbis "gravis penuria" substituatur "situationes extremae necessitatis in quibus cura pastoralis aliter provideri non potest"; in propositione 2a etiam clarificatio desideratur de phrasi "casus particulares";

~~XXXXXXXXXXXXXXXXXXXX~~

Quidam proposuerunt primam propositionem ita mutari ut sic legatur: "quamvis haec solutio possibilis sit, ea neque conveniens<sup>est</sup> neque necessaria in Ecclesiae Latina".

Hac emendatione facta maior pars Circuli voluerunt ut illa prima propositio, sic emendata, tamquam quarta propositio proponatur.

Circulus proponit ut Synodus illis sacerdotibus qui exercitium sacerdotii reliquērunt, loquatur, sed benigne; dicens quod nos episcopi etiam ~~per~~ cum eis patimur et quod illi qui recte dispensationem obtinuerunt tamquam alii Christifideles tractentur.

### 3. Ministerium pastorale et saeculares operositates

a) Maximi momenti est considerare motiva sacerdotis quando de eius participatione in activitatibus saecularibus agitur. Circulus censuit quod si et quando talis participatio opportuna videtur semper debet esse in contextu missionis totalis evangelizandi. Motiva pecuniaria vel indigentia laboris (lack of work) attente examinari debent, neque congruit ut sacerdos operositatem saecularem sumat si ita laici de necessaria labore privantur.

b) In promotione iustitiae et progressus socialis et similium problematum sacerdos normaliter et primarie tamquam "animator" sese considerat. Quia consequentiae eius functionis afficiunt et Ecclesiam et presbyterium valde convenit ut decisiones in his rebus in conjunctione cum episcopo et presbyterio sumantur.

c) Circulus accipit et commendat propositionem quae sic se habet: assumptio muneris directivi vel "militantia" activa pro aliqua functione politica excludi debet a quolibet sacerdote, nisi de consensu episcopi bonum communitatis in concretis et exceptionalibus circumstantiis id postulet.

### 4. Evangelizatio et Sacramenta

a) Evangelizatio et sacramenta intime inter se connectuntur ita ut, vita sacramentalis culmen sit ad quod evangelizatio tendit et simul fons unde omnis eius virtus emanat.

Itaque debita praeparatio requiritur in ordine ad receptionem sacramentorum.

Haec praeparatio per spatium temporis perdurare potest, attamen omnis decisio in hac re et specialiter denegatio sacramentorum numquam arbitrio et individuali decisioni sacerdotum relinqui debet, sed in consultatione cum episcopo sumatur.

b) Circulus actualen situationem respectu evangelizationis consideravit. Sequentia dicta fuerunt a quibusdam Patribus et quidem relate ad regiones particulares: opus evangelizandi diminuitur, speciatim in fervore. Praedicatio evangelii non fit cum fiducia debita, sed cum aliquo timore (loss of nerve). Conversiones minuuntur, partim propter falsum irenismum. Aliqui Patres locuti sunt de dubiis expressis a quibusdam fidelibus de apta significatione (relevance) evangelii pro eorum vita. Conflictus inter apostolatam directum et operositates saeculares impedit evangelizationem. Hesitationes in evangelizando magnum detrimentum attulerunt in aedificatione Ecclesiae in missionibus.

Commendatio: etiamsi res aliter se habent diversis in locis, tamen omnis prioritas praedicationi dari debet. Maximi momenti est ut haec praedicatio evangelii sit viva, credibilis et adaptata huius hodiernis temporibus. Evangelizatio expressio esse debet praesentiae Iesu Christi vivi hic et nunc. Cursus professionalis in mediis communicationis pro sacerdote valde commendatur ut adiumentum in praedicatione. Fidelitas erga Christum non in mere legali formalismo fundatur sed in profunda et viva experientia Eius praesentiae et providentiae. Ad hunc finem attingendum nexus intimus inter liturgiam et vitam ostendi debet. Suggestio facta est quod totus conspectus doctrinae et moralitatis praesentetur adhaerendo textibus sacrae Scripturae qui in cyclo triennali novi lectionarii distribuuntur.

#### 5. Vita spiritualis sacerdotum

Necessitas radicalis configurationis Christo exigit orationem, specialiter ~~in~~ personalem in vita sacerdotali. Praeterea si sacerdos ut dux (leader) suae communitatis consideratur tunc praesertim in oratione dux esse debet.

#### 6. De praeparatione hodie ad sacerdotium necessaria

Propter penuriam temporis Circulus de hoc et sequenti puncto amplam discussionem non potuit habere. Has autem conclusiones commendat: 1. ut Synodus publice gratias agat Cardinali Garrone et Congregationi pro Educatione Christiana pro suo opere et fraterno dialogo cum Conferentiis Episcopalibus de formatione cleri in seminariis, et postulat ut hoc opus in eodem spiritu continuatur; 2. ut Synodus suam aestimationem manifestat theologis et professoribus in seminariis in munere tam difficili exsequendo; 3. ut episcopi declarant suam responsabilitatem pro solida formatione doctrinali et spirituali suorum sacerdotum. *et auxilium*

22

#### 7. De Retributione sacerdotum

Ad mentem Decreti Conciliaris "Ad Centes" Circulus valde commendat ut unaquaque diocesis unum pro centum (1%) ex redditu suo annuali pro opere missionali universali contribuat. Sic debita sustentatio sacerdotum secure provideri poterit.